DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ANGINA PECTORIS.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
ANGINA PECTORIS:

QUAM
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,
NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;
Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS INNES GUNN,
Scotus;
COLL. REG. CHIRURG. EDIN: LICENTIAT.

Naturâ tamen infirmitatis humanæ, tardiora sunt remedia quam mala. TACITUS.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT JOANNES MOIR.
MDCCCXXIII.

AVUNCULO SUO,

JACOBO INNES,

DE THRUMSTER, &c. &c.

ARMIGERO,

LITERIS PARITER ATQUE VIRTUTIBUS

ORNATO,

HOC OPUSCULUM,

QUALECUNQUE SIT,

GRATO ANIMO,

ET

EA QUA DECET OBSERVANTIA,

INSCRIBAT DICATQUE

AUCTOR.

JOANNI GUNN,

ARMIGERO,

Cum, Fratri optime, tibi gratias reddendi, propter beneficia innumera quae ex te accepi occasio idonea mihi felicitor contigerit, laetissime arrepio. Atque quidem has meorum studiorum primitias, Fratri carissime, pietatis reverentiaeque summae, et animi gratissime testimonium sincerum, accipias velim.—Vale.

Edinburgi,
Calendis Augusti.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ANGINA PECTORIS.

AUCTORE GEO. J. GUNN.

PREAFANDA.

Corporis viventis partes omnes, vi e natura pollent genus suum, et speciem conservandi; singula organa, quamvis peculiari actioni destinata, tamen in hac re conveniunt; et vita ipsa est talis seriei affectus actionum concurrentium et consentientium.

Cum aliqua pars actionum seriei, in naturalibus ejus functionibus perturbatur, morbum constituit, qui plus minus ita periculosus, ut actio perturbata ad vitam plus minusve necessaria est. Inter haec organa, sive singula, sive

in corpore conjuncta, quae ad corpus humanum pertinent, quaedam sunt ad vitam adeo necessaria, ut cessante horum actione, vita ipsa simul extinguatur.

Horum organorum omnium sive systematum, quae ad vitam conferunt, cor primarium organon sanguinis circuitûs, ejusdem que receptaculum maxime sine dubio praestat. Namque ejus actio impeditur, aut suspenditur, vita quoque impedita fit, ac suspensa.

Quoniam cor ad vitam adeo pertinet, imprimis ejus morbi summam medici attentionem vindicant, et plus horum nullus, quam Angina Pectoris, de qua sum acturus sequentibus paginis. Morbus enim semper est periculi plenus, saepe lethalis; neque cuique aetati aut sexui parsurus.

His praemissis, ad definitionem, historiam, causas, diagnosin, prognosin atque morbi curationem progredimur atque de singulis in ordine.

DEFINITIO

SIGNA, quibus hic morbus insignitur vetustis cognita sunt, ut plane patet eorum scripta inspiciendo. HERÓPHILUS, verbi gratia, mentionem facit morbi quodammodo similis sequentibus verbis; "Ex Angina citra judicium "hypochondrii dolor cum impotentia et torpore insideose accidit, etiamsi valde modeste "habere videantur.*"

Quamvis vetusti scriptores probabiliter hunc morbum scirent, et quaedam ejus signa praecipua indicarent, tamen celeberrimus Doctor HEBERDEN primus accuratam dedit rationem ejus, et de doloribus pectoris ita elegantissime scribit: "Verum dolores pectoris, quos supra "proposui, sunt leviculi: superest alius, qui "propter conditiones suas minime quotidianas,

---

* Vide Coac. Praenot. Sect. 11.

"tum propter exitum singularem, paulo fu-
"sius exponi meretur; quo pectus adeo angi-
"tur, ut non immerito angina pectoris appel-
"lari possit."*

Post eum multi medici primi nominis de hoc vitio in medium protulerunt; quales Doctores FOTHERGILL, PERCEVAL, WALL, HAYGARTH, et PARRY. Huic ultimo maxime debemus, quimultum de morbo indicavit, atque ejus naturam investigare conatus est, et ostendere, e prava actione cordis pendere.

E corporibus sectis, quae post mortem scrutavit, anginam pectoris nihil esse nisi syncopen quandam affirmat; itaque in Nosologia CULLENI includere morbum voluit, cui nomen imponitur *Syncope Anginosa*.†

CULLENUS celeb. ejus syncopen (cardiacam) ita definit: " Sine causa manifesta saepe re-

---

* HEBERDEN Comment. C. lxx. p. 308.

† Vide PARRY, p. 68.

"diens cum palpitatione cordis vehementi in "intervallis." Nullus autem horum auctorum aliquid vitium organicum patefecit quo morbus rite definiretur.

HISTORIA MORBI.

Angina Pectoris e paroxysmis et intermissionibus constat, cujus signa variant, et in quibusdam aegrotantibus plus minusve frequentia sunt secundum causas, quibus inducuntur.

Accedit paroxysmus sub exercitatione, quali aeger post pastum utitur locum acclivem ascendendo. Quadam in parte pectoris subito corripitur acuto dolore, quem suffocationis sensus comitatur; qui corpore antrorsum inclinato augetur, sed erecto vel etiam retrorsum inclinato sensus molesti et alia ingrata levantur et gradatim sistuntur. Sed in aliis exemplis sive aeger ambulat, sive sistit, sive retrorsum inclinat, aut quocunque in statu se habet, haud tam facile abeunt signa ingrata.

Sed in multis supervenit paroxysmus citra exercitationem antecedentem, aut manifestam causam, et infelix, sive sedet, ambulat, aut stat, languidus et defessus evadit, et nonnunquam vertiginem, et calorem thoracis sentit, et mucosi quiddam tussim excitare.

Dum res ita se habent, respiratio impeditur, et valet anxietas magna; dolores sinistrorsum apud imum sternum nunc adoriuntur, et ad brachium sinistrum ascendunt, ab eodem transeunt, et totum pectus invadunt, et brachium dextrum corripiunt, et ad manus usque descendunt.

Brachiorum autem dolores saepe desunt.

Dolores Pectoris, ructu vel fortasse vomitu levantur paucis in horis, sed nonnunquam quosdam dies perstant.

In quibusdam aegrotantibus, pulsus in paroxysmo regulares videntur, dum in aliis magnopere subsident, et irregulares et intermit-

tentes fiunt, non modo sub paroxysmo, sed quoque sub intermissione doloris.

Ante Doctorem PARRY, creditum est semper adesse cordis palpitationes, sed ille hoc nunquam accidisse ostendit, in Syncope anginosa; et adeo debile tantum factum esse cor, ut ne vix micare omnino queat; et ita aegrum in Syncopem tantum transire. Morbus enim, inquit ille, a commune Syncope nihil distat, nisi circa regionem cordis dolor praegrediatur, et homine apparente in sano statu, facile inducatur aliqua generale exercitatione.

Parum perturbantur naturales functiones interdum ventriculus afficitur, et quodcunque ingestum rejicit: alvus quoque astricta est. Plerumque tamen ventriculus et intestina solitis muneribus perfunguntur.

Tempus, quod intercedit inter paroxysmos, admodum variat; interdum ad mensem, aut

hebdomadam, nonnunquam ad diem, alias vix ad horam.

Haud raro ab initio morbus sua sponte abit; et aeger paroxysmi aliquamdiu est immunis; sed saepius redit malum, et paroxysmi longiores et frequentiores fiunt. Morbo itâ recurrente plus minusve frequenter pro aliquibus annis, miser mortis instantis sensu et timore gravissimo corripitur. Imminuuntur pulsûs vis ac numerus, frigescunt facies et extrema, atque sudores egelidi erumpunt, et violentus paroxysmus mortem subito infert, atque miserum aerumnis eripit.

DE CAUSIS MORBI.

Causæ hujus morbi, pariter ac aliorum morborum, sua natura in eas enumerantur, qui proclivitatem dant, excitant, atque morbum ipsum faciunt. Cum praedisponentibus incipiam, ad quas referuntur actas, sexus, mala confor matio corporis.

Hic morbus rariùs ante annum aetatis quinquagesimum adoritur, quibus sunt colla brevia, capita magna, et ad plethoram tendunt, atque vitam sedentariam degunt, et quam faeminas, frequentius mares aggreditur. Quamvis Angina Pectoris inter homines media aetate prodit, et mares prae faeminis adoritur, tamen sunt morbi exempla inter faeminas, pueros etiamque infantes.

Aqua in capite, cavo thoracis, aut in pericardio, multa ac diversa vitia organica cordis atque pulmonum, quibus addi queant muscu-

lorum inter costas paralysis, diaphragmatis laxitas, asthma, hepar et lien magnopere morbo auctus, horumque partium morbi nervosi huic morbo imprimis predisponunt. Sed quae proclivitatem dant, omnia sunt, perturbantia aut minuentia cordis ipsius actionem, aut vasorum magnorum in ejus vicinitate. Haec inter recenseri possunt inflammatio et mala quae eandem sequuntur; quibus adjiciantur dilatatio, ossificatio, calculi, aneurisma, vermes et pericardii hydrops, aliique morbi similes.

Cadaveris sectio post mortem multis in exemplis, squamulas osseas patefacit, in aortae superficie interna, circa valvulas, et arterias coronarias. Harum arteriarum ossificatio cum pessimis morbi casibus connecti videtur, atque morbus ipse earum rigiditate sola oriens, nam in multis hujus morbi casibus cor et valvulae ejus sana fuissent.

In quibusdam exemplis hae ossificationes ultra limites arterialis systematis inveniuntur; et costarum cartilagines plus minusve ossi-

fiunt,* quod ossificam diathesin indicare potuit.

Quodcunque vi polleat sanguinis circuitum accelerandi aut perturbandi paroxysmum excitare potest, quales corporis exercitationes omnes, atque animi affectus. Finem versus advenit morbus sine causa evidente.

DE NATURA MORBI, RATIONEQUE SIGNORUM.

De natura morbi et signorum revera valde manca est scientia; atque ad investigandam proximam causam cadaveris sectio parum confert.

Opiniones diversae de hac re prolatae sunt. Quidam sibimet persuasum habent, morbum e spasmo aut cordis nervis distentis, praecipue

---

*Vi de Medico-Chirurgical Transactions, Vol. VII.

pendere, dum alii contendunt, originem ducere ex organico vitio cordis, aut vasorum vicinorum sanguinem vehentium; nempe mutari structuram, plerumque cordis ipsius ossificatione, aut ejus valvularum, sed magis praecipue arteriarum coronariarum, quarum capacitas imminuta agit, prout obstructio ad solitam actionem cordis.

Quidam medici, quos inter Dominus Burns, dicunt oppressionis sensum et anxietatem a venoso sanguine in cordis regionem congesto pendere, atque alii dolorem cordis pressurae ad versus arterias ossificatas attribuunt. Talis enim fuit Equitis Everardi Home opinio in celeberrimi Joannis Hunter casu.

Convenit inter omnes, ex organico vitio cordis plerumque oriri morbum, de quo agitur, sed quommodo hoc vitium inferre tanta signa diversa queat, me omnino ignorare lubens fateor.

DIAGNOSIS.

ANGINA, quae faucium affectio quaedam intelligitur quandam habet cum Asthmate similitudinem et Cynanche a CULLENO descripta omnique specie quam id genus comprehendit. Sed dignosci facile potest ab omnibus morbis, quibus fauces sunt proclives.

Aliquibus medicis Germanis putata est etiamque Doctore DARWIN, veluti Asthmatis species, quorum posteriore Asthma dolorificum appelatur; sed subito acessu paroxysmi, et Pectoris Angore ad brachium tendente, ab Asthmate distinguitur.

Sed dignoscere ab aliis speciebus cordis *Syncopes* haud facile est, an sit Syncopes species necne, CULLENUS enim celeb. sequentem dedit Syncopes definitionem : " Motus cordis immi-" nutus, vel aliquamdiu quiescens." Atque ita de Syncope Cardiaca, " Sine causa manifesta

"saepe rediens, cum palpitatione cordis vehe-
"menti in intervallis; *ex vitio cordis vel vaso-
"rum vicinorum,"* et ita quoque, "Syncope
"occasionalis a causa manifeste oriens, *ex affec-
"tione totius systematis."*

In quibusdam exemplis haud patet, cordis actionem imminui aut pro tempore suspendi, quippe quia cor et arteriae suis muneribus perfungi videntur sub intermissionibus, sed, cordis affectio sit syncopes causa, vix dubitari potest.

PROGNOSIS.

In hoc ac in aliis morbis, ad sexum, aetatem, atque causas, quibus malum inducitur, respicire opus est, in prognosin faciendo. Si de Angina Pectoris site judicamus, semper credere inducimur, morbum esse periculi plenum. Hoc ita se habet, si provecta aetate sit

aegrotans, et morbus diu perstiterit cum paroxysmis frequentibus atque violentis, nihil aliud relinquitur, nisi mors subita, quae plerumque accidit.

In juvenibus, si ab initio mitescit morbus, et in ejus progressu tardus, et haud graves sunt paroxysmi, et e plethora, aut fluido in pericardium effuso, vel e mechanica pressura sub obesitate oriuntur, curationis licet spei indulgere, atque ita prognosin dare, sed cautè.

In aliquibus exemplis morbus sua sponte abit; "Unicum vidi," inquit HEBERDEN, "in "quo malum sua sponte finitum est."

Sin pendeat morbus ex ossificatione arteriarum coronariarum, aut aliquarum ex arteriis magnis cordi vicinis, aut ex quodam alio vitio organico cordis ipsius, tunc patet, haud expectari morbi curationem, et nihil profitura esse remedia omnia, quae administrantur.

CURATIO MORBI.

In morbum curando, causas, e quibus signa pendent, rite considerare nosmet opportet, atque ad hanc opinionem ita remedia praescribere apta. Si ab apoplexia aut hydrocephalo pendet, hos morbos curandum est. Si a nervis distensis, hos solvere oportet: si ab hydrope, aut aqua in pectore, ejus absortionem promovere opus est; si a dyspepsia, aut ulla affectione ventriculi alia, morbo hepatis et splenis, hi morbi sunt curandi. Sin ossificatione aut alio cordis vitio organico, vel arteriarum in ejus vicinitate quod esse causa videtur frequentissima, tunc malum maxime timendum est, et parum auxilii pene medicum ponitur. Attamen remedia inveniuntur paroxysmum levare, et accessum ejus sistere.

Sanguinis missio in paroxysmo utilis, si morbi signa paroxysmum ostendunt cor versus sanguine accumulato potius induci, quam in-

solita debilitate, quae aegro adsit tempore: etiamque secundum PARRY principia signa inferuntur e sanguine in cordis cavis congesto, atque retento in vicinis vasis, ex quo fit, ut debile evadat cor, ex ejus vitio organico, et in quiescentiam facile subsidat. Quamobrem oportet, quamvis debilis et intermittens sit pulsus pro rata parte signorum, quae adsunt aegri constitutioni; atque hic fortasse potius e vena jugulari, quam e brachio, mitti debet. Probabile enim est plurimum prodesse venesectionem, ex qua cor sese reficiat, atque vim insitam amissam recuperet.

Emetica hanc operationem sequantur, atque vix dubitare quidam queat, quin sint perutilia, sanguinem ad superficiem diffundendo, atque cor levando ex onere, quo opprimitur. Cum quo consilio, vinum Antimonii, aut pulvis Ipecacuanhae ad plenum vomitum adhibentur.

Stimulantia, cum consilio aegrum excitandi

administrantur, sed anceps videtur eorum usus, ideoque cautè adhibentur.

Antispasmodica pro paroxysmum solvendo praescribuntur; et aether ad minuendum paroxysmum atque levandum utilis reperitur. Opium quoque hora somni datum aliquando impedit ne accessio noctu superveniat.

In intervallis paroxysmi, aegrum oportet alvum tenere solutam, levibus purgantibus, atque diaeta uti leni, concoctu facile, atque fermentationi haud obnoxiâ; et si ad plethoram est proclivis, regimen antiphlogisticum strictius adhibendum.

Aegrotantem e curis mentem oportet tenere immunem, et quodcunque irritet evitare, et morbum excitet, modica uti exercitatione puro in aëre, et omni in re indulgere quae animum consopiat.

FINIS.